



Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

3. Episcoporu[m] consensum, aut spe, aut metu expressum nihil Regijs favere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

mentum eam causam cognoscere, quæ cum sit ex majoribus, (a) non solum ex veterum Canonum (qui Libertatis Gallicanæ fundamenta sunt) sed etiam ex Concordati ipsius præscripto ad Pontificem Romanum spectat ? An etiam in Concordata legesque Regni, & Ecclesiæ fundamentales Parlamento Jusest ?

III. *Opponitur 9.* Quamdiu spes est, ut conando, & obstitendo efficere aliquid possis, laudandi conatus sunt ; at spe omni consumptâ, imprudentiæ fuerit coniti, quod non possis ; nam & Medici desperatis in morbis remedia abrumpunt, & cum prodesse non possint, cessant mederi, præbentque infirmo, saltem que placent, si desint, quæ juvant. Quis nautam laudaverit in portum connitentem adversis ventis ? nam satius erat à portu abscedere, & vicinum littus subire, tempestate vitatâ, quàm pertinaci irritâque conatu naufragium quærere. Id in Regaliæ causa evenit : pugnatum ab Episcopis est, quamdiu licuit ; at cum viderent obstiti non posse, Rege in victoriam obstinato, & triginta annorum pugnam finire certo ; instaréntque, nisi cederent, pericula, & clades, & quicquid timeri potest ab irata Majestate, quid aliud superfluit, quàm ut arma potentiori submitterent, & certam cladem spontaneâ deditio occuparent ? Nec id timor aut ignavia, sed prudentiæ fuit, pacem quærere desperatâ victoriâ. Hoc ipsum sacris Scripturis edocemur : (b) *Noli*, inquiunt, *resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvij.* Et alibi, (c) *Ubi non est auditus, non efficienda sermonem.* Et Salustius : *Frustra niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extreme dementia est.* (d) Et S. Augustinus : *Si scirem tibi non prodesse, non te terrerem.* Ex qua D. Augustini regula ab omnibus recepta Theologi cum D. Thoma (e) concludunt : *Ubi probabiliter estimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, à correctione, cujus finis est emendatio, desistendum ; quia ea, que sunt ad finem, debent regulari, secundum quòd exigit ratio finis.* Et ita Samuel (f) Populo temere Regem deposcenti, consultè cessit, deditque Saullem, quamvis eum non lateret, hanc Populi petitionem Deo displicere. Sic Alexan-

(a) Cause majores ad Roman. Pontif. pertinent. Innoc. I ep. ad Victor. Rom. cap. 3. Vigil. epist. 7. ad Aux. Arelat. Greg. M. epist. 52. lib. 4. Marca lib. 1. cap. 10. & lib. 7. cap. 12. & 13. Concord. inter Leon. X. & Francis I. (b) Ecclesiast. 4. v. 32. (c) Ecclesiast. 32. v. 6 (d) S. Aug. hom. 41. & cap. si quis 2. d. 7. & pœnit. (e) S. Thom. 22. a. 6. (f) II Reg. 8.

der III. cum vereretur, (a) ne Angliæ Rex in schisma dilaberetur, aded multa dissimulavit connivitque, ut teste D. Thoma: (b) *Clamaretur in plateis, predicaretur per Civitates, quod Roma justitia non fieret de potentibus. Et alibi. Romana Ecclesia posuit firmamentum suum formidinem, aut res captat, aut Personas accipit, & auctoritate, quâ præeminet, iniqua gerentibus non occurrit.* Quibus istorum querelis Alexander Papa propositi, & moræ tenax, hæc respondit memoratu digna: (c) *Nos sicut novisti, Regem in patientia, sicut decuit, & humilitate vincere cupientes, ei hæcenus multum detulimus, & de misericordia Christi sperantes, quod ille, in cujus manu corda Regum sunt, voluntatem & animum ejus mitigare deberet.* Et in litteris ad Ludovicum Gallia Regem: (d) *Si petitioni prædicti Regis quandoque annuimus, & ejus visi sumus voluntati favere, more periti medici id fecimus, qui agro, de cujus salute desperat, contraria quacunque appetit, tribuit, tentans ipsum, qualitercumque potest, ad sanitatem revocare. Quapropter cum consuetudinis sit Romana Ecclesia potius in servanda maturitate plerumque damnum, & jacturam incurrere, quam in præcipitatione peccare, tua non miretur, nec moveatur Serenitas.* Gallia ergo Episcopi, cum triginta totos annos pro Ecclesiarum libertate contra Regaliam certassent, & ultimis hisce temporibus non tantum victoriam desperarent, sed etiam cladem prospicerent, Rege victorij feroce, & obsequium imperante, exemplo Alexandri Pontificis Principi detulere, pacem saltem, si nihil aliud lucrati. Quam in rem duo alia exempla à Maimburgo celebrantur, (e) unum Gregorij M. aliud Hildeberti Archiepiscopi Turonensis, Sanctitate, & doctrinâ clari, & cujus virtutes à S. Bernardo egregiè laudantur. (f)

Mauritius Imperator legem conscripserat, quâ milites necdum expletâ militiâ, aut missione acceptâ verabantur Monasteria ingredi, & Religionem profiteri, jussitque Beatum Gregorium hanc ipsam legem promulgare. Islædi hoc Edicto Religionem, & pietatem credebatur, expressitque rationes, quibus ad id credendum movebatur; sed cum Cæsar mandatis insisteret, paruit Gregorius, clausitque his verbis reverentiæ, & obsequij plenis: (g) *Ego verò hæc Dominis meis loquens quid sum nisi pulvis, & cinis? Ego quidem jussioni subiectus*

(a) Lib. epist. D. Thomæ Cantuar. lib. 2. epist. 46. (b) Ibid. lib. 5. epist. 47. (c) Ibid. lib. 4. epist. 32. (d) Ibid. lib. 4. epist. 51. (e) Maimburg. du Lutheranism lib. 2. f. 279. (f) S. Bernard. ep. 123. & 124. (g) Greg. lib. 2. epist. 72. Ind. 11.

Gallia
Vindicata
G III
230

subiectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmittere feci, & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimis Dominis meis nuntiavi. Utrobique ergo, quod debui, exolvi, qui, & Imperatori obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minimè tacui. Adjungitque Maimburgus: En, inquit, Pontificis verba pietate, & doctrinâ præcipui, cujus utinam exemplo discam Episcopi, non esse Principibus oblitiscendum obtentu Zeli, tuendæq; immunitatis Ecclesiasticæ; oportet enim eum Zelum, ut Apostolus monet, scientiâ, & discretione temperari, miserique modestiam libertatis istam, ut audeas, qua Principis, tuâque conscientiam gravant, monere: illum, ut monito, & tamen obsequium urgenti, tandem acquiescas: nec velis opinionibus tuis, velut totidem oraculis Principem illigari. Pergit de Hildeberto narrare. Ludovicus Crassus Gallia Rex, vacante Ecclesiâ Turonensi, duos ejusdem Ecclesiæ Canonicatus titulo Regaliæ contulerat. Negabat Hildebertus id jure factum; quippe Ecclesiâ Turonensi Regaliæ, & servitutis experte, adiitque Regem, injuriam questurus. Dati à Principe judices, qui causam cognoscerent, sed à Palatio: dicta utrinque causa, & rationes expositæ; sed victoria, & sententia à Rege sterit. Archiepiscopus ab aulico judicio ad Sacrum provocavit, quod solum dicebat huic causæ finiendæ pareri, ex Canonum præscripto. Rex provocatione offensus, velut alienum tribunal peteret, omnes Turonensis Ecclesiæ fructus intercepti jubet, & ærario inferri. Quid ageret Hildebertus gratiâ Principis, & opibus lapsus? omnis anathematis, aliisque armis iram, infensique Sacerdotis, ad ultimas preces devolvitur placandûque Principem, adhibito etiam mediatore, quo facilius veniâ petiretur, ad quem hæc verba supplicantis leguntur: (a) *Nec tanto loquor, tanquam vobis clamorem super Christo Domini deponens, tanquam postulans per Ecclesiasticæ rigorem disciplina subvenire Ecclesiæ: & mihi deprecor vestrum interventum, & Regi ex charitate suggeri, ne sagittas suas in senem contemnat Sacerdote. Hæc Hildebertus notæ Sanctitatis, probatæque miraculis: nec Honorius II. factum improbavit, Rege suis juribus relicto, additque Maimburgus: (b) *Honorio Pontifici, aquè ac Gregorio persuasum fuisse, in causis ambiguis, & rationibus utrinque munitis, partes subditorum esse, ut Principi acquiescant, ejusque voluntati, ac legibus cedant.**

(a) Hildebert. epist. apud Luc. d' Acher. tomo 13. Spic. (b) Maimburg. de Luther. lib. 2. fol. 280.

Subditque Lutheri, & Melanchtonis exempla, Concione abstinendum, quod Carolus Imperator eas aliquamdiu vetasset; idque egregium exemplum vocat, & omnibus imitandum. (a) Non ergo omnis generis exempla defuere, Episcoporum, & Pontificum, Regibus obtemperantium, etiam cum ipsi aliter sentirent; cur ergo fas non fuerit istos imitari? nam Sanctitate, & doctrinâ florebant, & ferè eadem causâ vertebatur.

R. Hoc tandem verum, & unicum argumentum est, quod plurimos permovit, ut Regaliâ subscriberent, & servituti annuerent. Timor offendendi Regis, excidendi gratiâ, & ijs, quæ gratiam comitantur, turbandique pacem ignavis timidisque ingenijs charâm, veræ causæ fuerunt Regaliâ admittendi: reliqua velando timori, quem pudebat fateri, quæsitæ sunt. Hanc ergo carnalis prudentiæ, humanique timoris arcem, quam nemo meliùs, sed neque turpiùs Maimburgo munivit, evertere animus est, & ad singula respondere, quæ objectabantur.

Nam primò supponunt Principem, ut Regaliâ cederet, persuaderi non potuisse; at falsò id supponi, certissimis argumentis evincitur; nihil enim ejus Religione, & pietate indignius dici potest, quàm noluisse veritati acquiescere, si ostenderetur; id enim pertinacis potiùs animi, quàm Regij est, qui nullâ re magis ut veritate delectantur, quòd S. Ambrosius eleganter expressit, cum Augustum alloqueretur: (b) *Peto, ut patienter sermonem meum audias; nam si indignus sum, qui à te audiar, indignus sum, qui pro te offeram, cui tua vota committas: sed neque imperiale est, dicendi libertatem denegare; neque Sacerdotale, quod sentiat, non dicere; nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare, tam amabile est, quàm libertatem etiam in ijs diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt; siquidem hoc interest inter bonos, & malos Principes, quòd boni libertatem amant, servitutem improbi: nihil etiam in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm, quod sentiat, non liberè pronuntiare; siquidem scriptum est: Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundabar. In causa DEI quem audias, si Sacerdotem non audias; cujus majore peccatur periculo? quis tibi audebit verum dicere, si Sacerdos non audeat? Moderni ergo Regis virtutes non patiuntur, ut credam,*

R
noluisse

(a) Ibid. fol. 270 Lutherus epist. ad Elect. Saxon. (b) S. Ambros. lib. 5. epist. 29. ad Theodos. Imperat.

Gallia
Vindicata
G III
230

noluisse eum veritatem à Sacerdotibus edoceri, & vera dicentibus periculum ingruisse, ne illius gratiâ, & amicitia caderent, & Ecclesiæ premerentur. Pace eorum dixerim, nihil poterant obiectare tanto Principe indignius, quæque illius famam magis perstringerent. An ergo Christianissimum Regem, & Ecclesiæ Primogenitum Neronibus, & Decijs comparant, qui exilia, & mortes statuebant veritatem edicentibus? Præsertim cum is juramento se obstringat ad Ecclesiæ libertates, & privilegia observanda; ejus juramenti verba hæc sunt, cum Regiam dignitatem inicit: *Promitto vobis, & unicuique de vobis, & Ecclesijs vobis commissis Canonicum Privilegium, & debitam legem atque justitiam, &c.* Vanus ergo is timor fuit, & procul ab ea pietate, & Religione, quas in Principe veneramus. Principes enim, alioquin sapientissimos, aut multitudine rerum, quæ magnam Dominationem semper comitantur, aut adulatione ministrorum falli nemo ignorat: & exempla Davidis Miphibosetum servi delatione punientis, quamvis innoxium, ac Theodosij Magni fatis ostendunt; ut mirum non sit, etiam Galliæ Regi tot curis bellisque intento, & militiam præ Canonibus sectanti, impostum esse. Quanta ergo spes erat recusandæ servitutis recens impostæ, si non duo tantum Alecensis, & Apamiensis Episcopi, sed omnes, quorum intererat, & causa agebatur, pari modestiâ, & libertate, omnique ferocia procul, quæ vim argumentis obtundit læditque Majestatem, Regem adiissent, monstrassentque: Regiam contra Canonum decreta, contra Concilij Lugdunensis sententiam, totâ Galliâ receptam, contra Regum Edicta, cursimque quatuor sæculorum extendi; imò contra Regis ipsius Sacramentum, dum Regnum auspicator, & omnium retrò Gallorum juris prudentiam. Quæ verò de antiquitate Regaliæ dicuntur, quod nec alienari, nec præscribi possit, sitque privilegium Coronæ insertum, voces esse sono magnificas, rebus vacuas, & assentationes quæsitæ, quod etiam Gallici Scriptores observârunt: nec Galliæ Regis Majestatem tam inopem esse veris titulis, ut ad vanos, confectisque recurri oporteat: nunquam magis Regnum floruisse, quam cum pietate in Deum, amore in Ecclesias sustentabatur: hæc Galliæ Regum decora fuisse: his effectum, ut quantum alios Religione tantum felicitate, & potentia vincerent: sicut exadverso nihil
magis

magis obstitisse Regnis, eorumque casus festinasse, quam cum Ecclesiarum facultates, & privilegia carperentur. Hæc plena reverentiæ, & charitatis; nec dubium, non æquis tantum auribus, sed etiam libentibus ab eo Principe auditum iri, cujus clementia, & comitas tantopere commendantur. Tantòque magis animari debebant, quòd toties vicissent; cum enim ministri Regij à tringinta, & suprà annis libertatem Ecclesiarum attentassent, semper obsistentibus Episcopis repulsi sunt, & contra Regaliam Edicta à Regibus impetrarunt. Quid ergo metuere poterant in tam justa causa, semperque victores? An non potius sperandum erat in eadem omnino causa, & sub æquissimo Rege eandem quoque fortunam, & eventum fore? Quòd si modò victi sunt, & Regijs semper hætenus victis, victoriam cessere, non Regis hæc culpa, sed eorum fuit, qui non pari cum majoribus suis virtute pugnârunt, & libertatem eorum sudoribus partam, Regio favori submisere, aulæ magis, quàm aris addicti; ficto interim vulgatoque metu, ne gratis viderentur, & sine causa servitutem accepisse; nec cogitabant interim, quàm turpe foret metum obtendere, Sacerdotibus præsertim, quibus supra omnem rerum mortalium curam, & conditionem positis, nihil extra Deum sperare, aut timere licet, alioquin nec unquam officij partes explebunt; nam si navis gubernatorem undæ ventique percellant, & Ducem hostilia signa, ac ferrum nudatum, nec iste victoriam, & pacem, nec ille portum obtinebunt: quantò id in Episcopis verius Ducibus, & gubernatoribus animarum? tantòque damnabilior formido fuit, quòd ne tentato quidem hoste fugam arripuerint, ut Innocentius XI, illis verbis, dum ad Episcopos Galliæ scriberet, egregiè notavit: *Non dubitamus, si stetisset coram Rege pro causâ tam justa defensione, neque defutura vobis verba, quæ loqueremini; nec Regi cor docile, quo vestris annueret postulatis. Nunc cum muneris vestri, & Regiæ æquitas quodammodo oblitus in tanti momenti negotio silentium tenueritis, non videmus, quo probabili fundamento significetis, vos ad ita agendum metu adductos, quòd in controversia victi estis, quòd causâ cecidistis: quomodo cecidit, qui numquam stetit? Ecquis vestrum tam gravem, tam justam causam, tam sacrosanctam curavit apud Regem? Quis ausus est invidia se offerre? quis vel vocem unam emisit memorem pristina libertatis?* (a) Paret ergo ex dictis,

R 2

(a) Litteræ Innoc. XI. PP. Max. ad Episc. Galliæ. Anno 1682.

Gallia
Vindicata
G III
230

dictis, quæ de metu, & periculis, & monitione nihil profutura dicebantur, nullo fundamento subnixæ, multoque plures sperandi, quàm desperandi causas subfuisse: nec Regem suo vitio, sed aliorum culpâ, & conniventia inexcusabilem factum.

Secundò. Sed demus hæc omnia: fingamus inflexibilem Regem, nullamque ei permovendo spem illuxisse: Episcopos gratiâ lapsuros, paratas obsistentibus pœnas, exilia, & quod magis terrebatur, Principis iram; non ideo causa Ecclesiarum omittenda, & servituti acquiescendum fuit, tot Canonum decretis vetitæ; quantum minùs subscribi illam, probarique ab Episcopis debuit, Canonum, Ecclesiarumque custodibus? Si enim culpa silentium fuit, multò magis ipsa societas, & comprobatio criminis: nec illas Apostoli Regulas ignorare poterant: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Et non solum, qui talia agunt, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Si enim, ut ipsi fatebantur: *Extensio Regaliæ servitutum continebat canonicis institutis, & naturali Ecclesiarum libertati adversam, ac insuper à Concilio Universalis prohibitam, & qua Ecclesijs imponi non poterat, nisi ipsius Ecclesiæ consensu.* Si, inquam, hæc ita sunt, nullis ergo minis, nullo periculo, aut metu, imò ne oblatâ quidem morte impelli debebant, ut assensum præberent rei toties prohibitæ, ac tot partibus malæ, quin potiùs repetendæ erant illæ voces, libertatis, & animi plenæ, ac in simili causa à D. Ambrosio prolatae: (a) *Si patrimonium meum petitur, invadite: si corpus, occurræ: vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ergo me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratiùs immolabor.* Et infra: (b) *Allegatur Imperatori lucere omnia, ipsius esse universa. Respondit: Nolite gravare Imperator, ut putes te in ea, qua Divini sunt juris, imperiale aliquod jus habere, &c.* Et alibi. *Nabuthæ Sanctum Virum scimus interpellatum petitione Regiâ, ut vineam suam daret, ubi Rex succis vitibus olus vile ferret, scimusque eum respondisse: absit, ut ego Patrum meorum tradam hereditatem. Si ergo ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi? Quid igitur responsum est a me contumaciter? dixi enim conventus: absit à me, ut tradam hereditatem Christi. Si ille non tradidit Patrum hereditatem, ego tradam Christi hereditatem? Sed & hoc addidi: absit, ut tradam Patrum hereditatem: hoc est,*

Dionysii,

(a) S. Ambrosii epistolæ ad Marcellinam Sororem. (b) Idem in Orat. contra Auxent. de Basil. trad.

Dionysij qui causâ Christi in exilio defunctus est: hereditatem Eustorgij Confessoris, hereditatem Myroclis, hereditatem omnium retrò fidelium Episcoporum. Respondi ego, quod Sacerdotis est; quod Imperatoris est, faciat Imperator; priusest, ut animam mihi, quam fidem auferat. Hæc Ambrosius Imperatori unam tantum Ecclesiam petenti; quid dixisset, rogo, non unius tantum, sed omnium Ecclesiarum libertatem infestanti? Nec Ambrosio Imperatoribus charo, & aulis innutrito, aut sanctitas deerat, aut doctrina, ut videri posset impetu ferri, non ratione; aderantque pericula multò præsentibus majora, Augustâ sæviante, Imperatoro offenso, & contemni se rato, ac mulieri devincto, denuntiatis exilijs, paratis pœnis, ac facibus totâ urbe volitantibus; & tamen inter tot mala, timorisque argumenta, ac omnibus Ecclesijs intentâ clade, num ideò aut expavit, aut connivit Ambrosius, aut turpissimis pactis furentem Imperatricem placavit? Stetit, & vicit, pulcherrimo libertatis exemplo.

At, *inquunt*, frustra, & nullâ spe obniti, imprudentis consilij est. Respondeo has voces eorum esse, qui humana solum spectant, nullâ DEI fiduciâ Ecclesiam suam gubernantis; si enim res humanæ, & præsertim sacræ, mortalibus tantum, & fluxis consilijs agerentur, locus timori esset, & desperari de exitu posset; nunc verò ubi Deus ad clavum sedet, præsidetque rebus Ecclesiæ, nulla ratio desperandi subest; jubet enim, & juvat, nec alios magis auxilio suo sustentat, quàm qui eo nituntur, faciuntque imperata, fiduciâ, & obsequio prompti. Non ergo frustra, & nullâ spe obnititur, qui Deum Protectorem habet; hic enim etsi justos permittat adversis conflictari, ubi tamen virtutem suam, & constantiam probârunt, & exempla imitationi reliquere, eorum vota, & conatus implet, feminum, & plantarum more, post nives, hyemisque, cum mortuæ viderentur, efflorescentium, eamque in rem exempla omnium sæculorum abundant. Quis enim, qui eo tempore vivebat, non credidisset, frustra nullòque eventu à sanctis Martyribus contra Tyrannos, à Paulo contra Neronem, à Basilij, & Athanasij contra Arianos pugnari? quippe aut pauci quàm plurimis, aut imbecilli potentissimis adversabantur; & si humana consuleres, nullum argumentum, quo victoria sperari posset, apparebat; imò nec alia merces, aut stipendia dabantur prædicatæ veritatis, quàm exilia,

R 3

tormenta,

Gallia
Vindicata
G III
230

tormenta, mortes, & quidquid etiam impavidos invictosque ter-
rere potest: & tamen illis ipsis artibus veritas triumphavit, quibus
premebatur; nec Religionem haberemus, nec Martyres, nec tot
alia fortitudinis, & virtutum exempla, si tot illæ blanditiæ, con-
niventiæ, assentationes, artesque serviendi, quæ modò inter arca-
na collocantur, animos occupassent; verum enim est, & mille
exemplis comprobatum, quòd S. Thomas Archiepiscopus, &
Martyr Cantuariensis monebat: *Non simulatione, non ingenio regendam
esse Ecclesiam Dei; sed justitiâ, & veritate, qua se observantem liberat ab omni
periculo.* Libet inter innumera unum feligere, in quo velut in specu-
lo celsitatem animi videas Sacertotali dignitati parem, impavi-
dam videlicet infractamque omnique adulatione, ac turpi obsequio
procul, & contra omnes providentiæ humanæ regulas tunc maxi-
mè validam, cum casura videbatur, quippe Deo nixam, & ideò
victoricem. Vastaverat Romanum Imperium Gainas Gothus, au-
debaturque victorij insolens Augustis etiam, ac throno minari. Urbi
Regiæ imminenti, vallatòque Gothorum exercitu, quo Asiam
percurrerat, Arcadius Imperator Chalcedonem usque obviam
occurrit; nam id quòque Barbarus petebat, si non potius imperium
erat. Illic colloquium fuit, & de pace conventum. Conditiones
Barbaro dignæ, & tamen impetratæ, Augusto invalido, pavidò-
que, & ideò facili; eæ verò erant: *Ut Gainas equitum peditumque præ-
fecturâ potiretur, hoc est, exercitum Imperatoris duceret: Saturninus, & Aure-
lianus Senatorum præcipui, & consilij præpotentes, ac ideò suspecti, ac Joannes
omnium Principis consilius dederentur.* Nec obscurum erat, Principem
consilij armisque nudari, exponique arbitrio Gothi Majestatem
inermem; sed premebat necessitas, & major præsentium, quàm
futurorum metus. Ergo in conditiones, & pacem juratum: Sena-
tores Barbaro permisi, proscriptique, & Gainas positis armis,
victorique, ac imperanti similis Urbem Regiam invecus est; sed
victo Imperatore, majus certamen cum Chrysofostomo supererat.
Ecclesiam Gainas petebat, in qua Arianorum more cum Gothis
facris operaretur; promittit Arcadius, & accersit Chrysofostomum,
imperatque Ecclesiam Arianis, tradi, ac potentiam, tyrannidem,
ferociamque Gainæ exaggerat: *Concedenda esse, qua negari non possunt,
tempori.*

(a) S. Thom. Cant. epist. 46. lib. 2. epist.

tempori aliquid dandum, & prementi necessitati satius esse unam, quam omnes Ecclesias, & Imperium Barbaris cedere: rogare illum, qui imperare possit, & preces armis urgere; medendum ergo præsentibus malis, & cætera temporis fore. Videbantur honesta, quæ Arcadius memorabat, & temporari apta, sed non Chrysofostomo, res sacras Divinâsque non ex fortunæ, sed Dei arbitrio metienti: negat ergo id fieri posse, & colloquium cum Barbaro poscit Arcadio coram. Postridie ad Cæsarem Gainas evocatur, & Ecclesiam, ut Cæsar promiserat, deposcit: cui Chrysofostomus: *Quæ tibi Arcadius pollicitus est Gaina, & tu meritò reposcis, nec ille abnuere potest, quippe nihil tam Regium est, ut fidem ac promissa exsolvere; unam ergo Ecclesiam pollicitus, jam omnes offert, patent omnes arbitrio, & pietati tuæ, ut voles, ingredi, & illis nobiscum fruire. At Gainas: Neque hoc se petere, nec Arcadium promississe. Arianum se esse, & Ecclesiam Arianis petere, nec posse Catholicis miseri. Quantum hoc præmij esset, si pro Romano Imperio tot præliis, & victorijs defuncto vel ara donaretur? & hanc tamen si à Cæsare non possit, à gladio impetraturum. At Chrysofostomus vultu Majestate composito, ac cæleste aliquid spirante, & quod etiam Barbaro reverentiam afflaret: Ara, inquit, Gaina, & Ecclesia non à gladijs, & Imperatoribus, sed à Sacerdotibus petuntur: nec eas Imperator promissit, nec potuit, nec tu mereris: nam quòd prælia, & victorias memoras, pro stipendijs illa, non pro Ecclesijs geruntur: nec tibi honores, & præmia defuere ampla, & ingentia, ac, si verum audire velis, multo meritis tuis majora. Num ergo consulares isti fasces, & exercitus cura & imperio tuo dati, ac fastigium Principi proximum pauca tibi videntur? Ad mihi non cupidines tuas, sed merita, & acies numeranti, multo debitis plura. Et tu quòque, si pristinas tuas sordes, & angustias, & paupertatem censueris, eosque habitus, cum seminudus tremensque Danubium transmitteres, huic auro gemmisque, & dignitatum fastigio contuleris, quæ Cæsarem largitate accepisti, fateberis mecum, fortunam tuam supra meritum esse; nec aliud votis tuis relinquit, quàm ut Cæsarem beneficia pari gratitudine, & obsequio æques; hanc nimirum Theodosio jurabas, cum ejus clementiâ periturus servarèris: hanc filijs ejus, hanc legibus debes, quas modo delere, frustrarique paras. Simulque Theodosij Magni Edictum, quo omnes Arianæ Ecclesijs arcebantur, sinu expromens: En, inquit, Gaina, legem tuis votis adversam: agnosce Theodosij Majestatem adhuc in filio regnantis, & cui tu vitam, ac fortunam hanc debes, reverentiam, & obsequium redde, & aliquod inter servum, & Principem discrimen admitte. Quid facium hæc signa, & acies in Principem suum, & Rempublicam armata?*

Gallia
Vindicta
G III
230

armata? quid ista facies imperanti potius, quam supplicanti similis, & nisi manes Theodosij vetem, parricidij plena? Asiam incendiisti, Rufinum, & Eutropium prope in Principis sinu obruncasti, Saturninum, & Aurelianum Augusto charos intimosque exilio proscripsisti, & tandem tot facinorum reus, & velut nec castra tuis flagitijs, nec aula suffuerent, transferri illa in Ecclesias jubes, parum videlicet te fortem, & impavidum ratus, nisi utramque Majestatem calcaves, humanam, Divinamque. Hæc dicentem Gainas non patienter tantum sustinuit, sed dejecto etiam vultu, ac pudore suffuso, & ne quidem respondere auso; quæ omnia Theodoretus, (a) & Sozomenus (b) memorant. Ubi simul observes, quanta sit potentia, & veneratio veritatis, cum à Sacerdote profertur, in quo virtus juxta, & dignitas sociantur, Si Maimburgum aut Arcadium, aut Chrysofomus interrogasset, quos ille metus, pericula, incendia, bella, & aliorum Principum exempla hæreses ferentium non produxisset in favorem Gainæ? At verò, ut alius spiritus Chrysofomo, alius Maimburgo, sic alia utriusque consilia, isto quæ mundi sunt, illo quæ DEI sapiente. Nec à DEO patrocinium, & suffragium defuit; cum enim Gainas Urbem, & palatium incendio, Arcadium neci destinasset, visæ sunt Gigantum specie Angelorum excubiæ, Regiam, & Principem obvallantium, Gotho absterrito, & Urbem, quod infidiæ patuissent, egresso. Ubi iterum Chrysofomi virtus, & libertas enituit. Cum enim Gainas, quod hostis declaratus esset, irâ vindictaque flagraret, Thraciâ ferro & igni vastatâ, nec reprimendo Barbaro copiæ superpetere, quas ille præmijs, aut studijs devinxerat, jamque Urbi immineret, visum est, ut per Legatos adiretur. Omnibus recusantibus, seu metuerent, seu desponderent, Chrysofomum deligi placuit; nec ipse renuit, quamvis recenti adhuc conflictu, & simultate. Venienti obviam Gainas processit, dextramque amplexu, & osculo strinxit, & liberos ad genua provolvi jussit, pulcherrimo virtutis triumpho, etiam ab hoste, & tyranno probatæ. Ejusdem postea oratione, & eloquentiâ flexus pacem juravit; quam cum regnandi libidine iterum violasset, fusus tandem est, perijitque, eodem simul tempore Romanis placido mari utentibus, Barbaris verò tempestate jactatis; crederes etiam ventos Chrysofomo militasse, ut pacem, quam à Gainâ non poterat, ab undis impetraret.

En

(a) Theod. lib. 5. cap. 32. (b) Sozom. lib. 8. cap. 4.

En ergo Chrystomum contra leges, & Philosophiam Palatij toties victorem! Gainas, qui leges Imperatori scribebat, qui ante illius oculos, & penè in sinu charissimos amicorum cædebat, cujus arbitrio capita Senatorum metebantur, gemente Principe, & tamen invalido; qui pacem, ut libuerat, dabat, solvebatque, & cujus armis Coronæ quæiebantur; hic tamen ad unius Sacerdotis, & Episcopi vocem supplex tremensque, & genibus advolutus, Barbarie sopitâ, ac tandem, cum armis non posset, vento marique oppressus est. Quando id unquam toto illo blandiendi, adulandi que, & connivendi apparatu Maimburgus effecisset? Hæc idcirco narrare volui, ut falsam ostenderem Maimburgi aliorumque opinionem, statuentium: *Non esse Principibus obsequendum, cum injusta petunt, nec spes est aliqua eos inflectendi.* An verò Gainas, Arcadius, & Eudoxia Imperatrix non injusta imperabant? aut forsân rationes aberant, & potentia, quibus velarent imperium, urgerentque? Et quæ spes erat, vinci illos posse? Num idèd cessavit, tacuitque Chrystomus? aut forsân nullo præmio, sed irrito perditoque conatu depugnavit, quia displicuit, quia exulavit, quia occidit? imò nunquam magis ejus virtus, & innocentia effloruit, victo Gainâ, pœnitente Arcadio, confectâ Imperatrice, deletis persecutoribus, cælo terrâque innocentiam testantibus, & denique triumphante exulis cadavere; quæ omnia cessassent, si Gainâ, si Augustis blanditus esset, eorumque votis annuisset, brevi quidem pace, at perpetuo dedecore. Verum est ergo illud Jobi vaticinium: *Justus cum se consumptum putaverit, sicut Lucifer oriatur, & quasi meridianus fulgor consurgit tibi ad Vesperam.* In quem locum egregiè S. Gregorius: (a) *Peccatoris lumen in die, est obscuritas in vespere, quia in presentis vite felicitate atollitur, sed adversitatis tenebris in fine devoratur. Justo autem meridianus fulgor ad vesperam surgit, quia quanta sibi claritas maneat, cum jam occumbere ceperit, agnoscit.*

Sed nec illud tacendum, eos ipsos, qui tantam curam ostentabant Regiæ dignitatis tuendæ, id tandem adulando effecisse, ut Principes perderent. Eudoxia, postquam gratiâ Mariti excidisset, mœrore collapsa est, necineribus quidem quiete permisâ. Arcadius fraternis odijs, & intestinis bellis appetitus, florente ætate, &

S

facto

(a) S. Greg. lib. 10. cap. 12.

Gallia
Vindicta
Gall
137

fato immaturo extinctus est, memorando regnantibus exemplo, nullos magis adversari Principum fortunæ, quam qui maximè blandiuntur. Jam reliqua videamus.

Tertiò. Quæ de Samuele afferuntur, Regem populo concedente, ad rem non faciunt; nec enim suâ sponte id fecit, sed DEI jussu; nec nobis est quæstio, quid DEO, sed quid Sacerdotibus liceat, DEUS enim mala aliqua permittit, vel ut puniat, vel ut majus bonum ex malo eliciat. At verò Episcoporum officium non est, ut malum permittant, id enim privatorum; sed ut avertant, aut saltem conentur: nam nec Medicorum ars in eo versatur, ut morbos permittant, sed ut medeantur: nec Pastorum, ut oves errare vagarique sinant, sed ut reducant. Multò minùs Alexandri Pontificis exemplum aliquid probat; quid enim non egit, ut sanctum Archiepiscopum exilio liberaret? quot precibus, quot minis, quot Legationibus laboratum? ac tandem intentata Friderici Imperatoris pœna, cui Regno simul, & coronâ interdictum fuerat, Henricum permovit, ut in gratiam cum Sancto rediret. Celebrantur etiam ejusdem Pontificis voces, quando minitanti Regi defectionem intrepidè respondit: (a) *Se duas illi proponere vias, vitæ & mortis; facillè quidem posse illum contemptâ gratiâ, & patientiâ DEI pereuntium præterligere viam, sed se Domino propitiante non recessurum à via recta.* Illud verum est, vibrantis Ecclesiæ fulminibus diu multùmque abstinuisse; videbat enim Regem in extrema paratum, nec idèò Thomam rediturum; & si hoc telum misisset, inermem se fore, ac ludibrio expositum nudatâ Majestate, idque experientia, & eventus docuit. Prudentis ergo consilij fuit, minari potiùs, quàm ferire, & timorem augere dilato vulnere; nec aliud Alexander fecit, cujus arcenum, qui non assequerantur, damnabant. Cæterùm non hoc silentium, & adulatio fuit, quam solam persequimur.

Quarìò. Gregorium quod attinet, res sic habet. (b) Scripserat Mauritius Imperator Legem, quâ milites, nisi expletâ militiâ, Religionem profiteri vetabantur, misitque Gregorio Pontifici, ut eam alijs Episcopis deferendam, vulgandâque curaret. Gregorius obniti, quòd eam Legem injustam, & impiam diceret, datisque litteris

(a) Joan. Saresber. lib. 2. epist. S. Thom. Cantuar. epist. 66. (b) Anno 593.

litteris modestiâ, & libertate plenis, Augustum monere: (a) Hanc legem à Fuliano Apostata editam primùm esse, nec decere, ut Edicta ab Ethnico, & Tyranno, & in odium Religionis scripta, in Christianos transeant. Ut milites se prius ere alieno exolvant, caveantque creditoribus, quàm Monasteria subeant, aequissimum id esse, nec vocari in dubium posse: ceterum ubi hæc præstiterint, cur Monasterijs arceantur, ubi delicta expient militaris licentia? invitandos illos potius, quàm prohibendos esse, nec ab ullo retrò Imperatorum, quavis & bellâfessent, & vicissent, aliquando id tentatum: cur ergo novis legibus turbaretur Ecclesia, & lacryma pœnitentium? Et tamen his magis victorias promoveri, quàm bellantium numero; quavis nec istum minus paucitate illorum, qui castra Monasterijs commutent. Id nuper experium Imperatorem, quando non armis Persas, nec bellico apparatu, sed precibus debellâisset; istas verò cum Monachis augeri. Imperatores Dei servos esse, Monachos Dei milites. Non ergo deserere, sed impleri militiam, cum ab Imperatore ad Deum, à servo ad Ducem transitur; equum non videri, ut cum castra Cesaris militibus abundant, evacuentur castra Dei. Hæc plena animi, & libertatis; adjecit alia parvis modestiæ: Ego verò hæc loquens Dominis meis, quid sum nisi pulvis, & cinis? Sed mox flagrante iterum Spiritu, in hanc Apostrophen plenam ardoris, & Majestatis erupit: (b) Ecce! aperta voce dicitur, ut ei, qui semel interrena militia signatus fuerit, nisi aut expleiâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Jesu Christo militare non liceat. Ad hæc, ecce, per seruum ultimum suum, & vestrum respondebit Christus: Ego te de Notario Comitum Excubitorum, de Comite Excubitorum Casarem, & de Casare Imperatorem, nec solum hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci. Ego Sacerdotes meos tua manus commisi, & tu à meo servitio milites tuos subtrahis? Responde, rogo, piissime Domine Servo tuo, quid venienti, & hæc dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? Et tandem epistolam claudit in hæc verba: Ego quidem jussioni subiectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia Lex ipsa Omnipotenti Deo minimè concordat, ecce, per suggestionis meae paginam Serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo, que debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minimè tacui.

Gregorius ergo, quantum fas erat, paruit Imperatori, ejus lege in diversas Provincias missâ; eo enim temporis Romana Urbs Imperatoribus subdebatur, & modò sub Ludovico Pio, Pontifici

S 2

relictâ,

(a) Gregor. lib. 2. epist. 63. Indict. 11. & epist. 65. ad Medicum Imperatoris.
 (b) Greg. lib. 2. epist. 62.

Gallia
 Indicata
 G III
 230

relicta, (a) nisi quoddam *Jus Regni*, hoc est, fidelitatis Sacramentum, & condendarum legum potestas ad Imperatores spectabat; sed hoc quoque à Carolo Calvo in Pontifices translatum est. (b) Gregorius ergo ut Civis, ac membrum Romani Imperij, non minus Imperatoribus, eorumque legibus subdebatur, quàm modò Archiepiscopi Moguntinus, Colonienfis, & Trevirensis, alijque. Cæterum quia eadem lex aliqua ex parte iniqua erat, cum videlicet milites monasterijs arcebantur, tantum abest, ut eam observari voluerit, ut potius Pontificiâ auctoritate usus correxerit, mutaveritque: & quantum valere illa, aut non valere deberet, illis ipsis Episcopis, ad quos mittebat, præscriberet; ubi apertè ostendit, se in hac parte non subijci Imperatoribus, sed præesse: nec obsequi, sed imperare: & alias esse Civis, alias Pontificis Romani partes; quod enim majus potestatis argumentum, quàm Imperatorum leges censere, erroris notare, ac demum corrigere, & sic correctas, nec aliter observandas proponere? Id fecit Gregorius; non ergo, ut voluit Maimburgus, paruit Imperatori, sed Imperator Gregorio. Hæc ex ipsis litteris Gregorij intellige, quas unâ cum Ediçto Mauritiij ad Episcopos transmisit. Sic ergo ad Orientis, & Occidentis Episcopos scribit Gregorius: *Gregorius Eusebio Thessalonicensi, Urbicio Dyrachitano, Constantino Mediolanensi, Andrea Neapolitano, Joanni Corinthi, Joanni Cretensi, Martino Ravennati, Januario Sardinia, & omnibus Episcopis Sicilia. Legem, quam piissimus Imperator dedit, ne fortasse hi, qui militia, vel rationibus publicis sunt obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in Monasterijs convertantur, vestra studii fraternitati transmittere; hoc maxime exhortans, quòd hi, qui seculi actionibus implicantur, in Clero Ecclesia præproperè suscipiendi non sunt. Quòd si etiam tales Monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi quoque rationibus publicis absoluti fuerint. Si qui verò ex militaribus viris in Monasterijs converti festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita, & juxta normam Regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc Monasticum habitum Deo auctore suscipere. Qui si ita sunt probati, atque suscepti, & pro anima sua poenitentiam de perpetratis agere student, pro eorum vita, & lucro celesti, non est talis conversio renuenda. Quæ de re etiam Serenissimus, & Christianissimus Imperator, mihi credite, omnimodò placatur, & libenter eorum conversionem*

(a) Anno 814. (b) Anno 875. V. Cantelium fol. 211.

versionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit. Hætenus Gregorius, qui, uti vides, Imperatoris Constitutionem ad terminos juris communis, & sacrorum Canonum reduxit, correxitque; sacri enim Canones statuerant, ne obligati rationibus, & officijs publicis ad Sacros Ordines reciperentur, ut habetur, in Concilio Carthaginensi primo, cap. 8. (a) Quod licet de sacris tantum Ordinibus loquatur, ob paritatem tamen rationis, etiam de statu monastico intelligendum est. Cæterum si quis se publicis rationibus exsolvisset, aut dedisset idoneos fidejussores, & insuper trienniali experimento, & tyrocinio constantiam probasset, recipi illum ad Religionem posse, quidquid Imperator decrevisset, Gregorius statuit. Ex hac facti narratione, non meis, sed Gregorij verbis contextâ facile intelliges, multa à Maimburgo taceri, multa aliter narrari, quàm se habeant. Vult enim, ut Pontifices Imperatori subdantur, eorumque legibus, quamvis iniquas putent, obtemperent, idque exemplo Gregorij probat, qui Mauritium Dominum suum appellat; qui se cinerem, & vermem vocat, quique ejus legem, quam iniquam putabat, nihilominus promulgaverit. At interim tacet Gregorium, cum hæc scriberet, initio epistolæ protestatum esse, se Pontificis auctoritate sepositâ, amico tantum, & privati stilo usurum; & idèd non per Legatos, & Apocrifarios suos, sed per Medicum Imperatoris tradi epistolam voluit, privato, non publico ritu. Verba Gregorij sunt: (b) *Omnipotenti Deo reus est, qui Serenissimis Dominis in omni, quod agit, & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione neque ut Episcopus, neque ut servus jure Reipublica, sed jure privato loquor, &c.* Et epistola ad Theodorum Medicum Imperatoris: (c) *Nolo eam (epistolam) à Responsali meo publicè dari; quia vos, qui ei familiaris servitis, loqui ei liberius & apertius potestis, quæ pro ejus sunt anima, quoniam in multis est occupatus, &c.* Quid ergo mirum, si Gregorius indutâ privati personâ, privati etiam stilo, ac phrasi utatur? nam oportet sermonem personæ aptari. Secundò & præcipuè tacuit Maimburgus Legem Imperatoriam à Gregorio correctam, emendatamque fuisse, & ita, nec aliter Episcopis

S 3

scopis

(a) Concil. Carthag. I. Anno 348. in cap. un. de oblig. ad ratioc. V. Suar. T. 3. de Relig. lib. 5. cap. 7. & d. 53. in Decret. Grat. (b) Greg. lib. 2. epist. 62. Indict. II. (c) Greg. lib. 2. epist. 65. Ind. II.

scopis transmissam, præceptamque observari; at hoc non subjectionis signum, sed imperij, & auctoritatis fuit; cur ergo circumstantiam tacuit, in qua totus rei cardo vertebatur? sed nec potuit ignorare, qui enim epistolam ignoraret typis vulgatam, & eodem loco à Baronio productam, in quo priorem epistolam ad Mauritium Maimburgus repererat. Denique Maimburgum interrogo, an omnia, quæ Gregorius fecit, scripsitque, pro talibus habeat, quæ nec argui erroris, nec improbari possint? An verò admittat aliqua ab eo facta, aut dicta esse, quæ pro conditione fragilitatis humanæ possint erroris notari? Si hoc ultimum Maimburgus admittat; dicam ego, hunc unum ex illis nævis fuisse, qui Sanctum Pontificem asperserint, dum videlicet legem Imperatoris, quam credebat Divinis legibus ad versari, nimia in Augustos indulgentiâ Episcopis misit, promulgavitque; si enim mala, repugnansque Divinæ legi, deleri debuit suppressique, non vulgari. Si verò, an injusta ea lex esset, dubitabat, ad Pontificem, non Augustum pertinebat illud dubium resolvere: & quid Lege Divinâ permissum, aut vetitum esset, definire; quis enim non indignetur rideaturque, si Episcopi casus conscientia Imperatori mittant resolvendos, quantò magis si Pontifices Romani? perinde, ac si miles expugnandæ Urbis rationem à statuarijs petat, aut nauta de Pleiadum exortu, eventūque factores consulat. Si ergo Gregorius dubitabat, æqua, an iniqua lex esset Mauritij, ipse de hoc dubio statuere, non Principi remittere debuit, juxta illud Michææ: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem meam requirent ex ore ipsius.* Ubi vides, ex ore Sacerdotis legem Dei, non Imperatoris querendam esse. Si verò dicat Maimburgus, nihil eorum reprehendi posse, quæ sanctus Gregorius fecit, scripsitque, sed omnes illius actiones regulæ instar nobis esse debere; quæro ex ipso, cur ergo non semel S. Gregorium ipse reprehendat? eumque obnoxium errori fateatur? in historia enim, quam recentissimè scripsit de Pontificatu S. Gregorij M. lib. 2. fol. 106. cum Joannis Patriarchæ Constantinopolitani causam contra S. Pontificem defendendam susceperet, hæc præmittit: *Rem, inquit, à suis principijs examinabo, & quis tandem cardo fuerit controversia inter utrumque agitata; neque me magnum illud Gregorij nomen, & auctoritas morabitur, quin edicam ingenue, uter*

istorum

istorum jure, an injuriâ certaverit. Equidem persuasum habeo, neminem in hoc mundo, quantavis sanctitate florentem ab ea Regula exemptum esse, quæ habet, falli omnes mortales, ac errare posse. Et eodem lib. 2. à fol. 152. Prolixè rationes B. Gregorij confutat, quibus legem Mauritiij impietatis arguebat. Agnoscit ergo Maimburgus, errâsse Gregorium, cum Mauritium, & Joannem Patriarcham arguebat. Quid ergo mali fuerit, si ergo & errâsse Gregorium dicam, non tunc quidem, cum Mauritium reprehendit, sed quando nimîâ indulgentiâ connivit, ejusq; legem, quam iniquam censebat, recepit, transmisitque Episcopis. Tu Gregorium errâsse dicis, cum Mauritiij legem inculcavit: ego errâsse dico, cum recepit. An fortè tunc solùm Gregorius errori obnoxius, cum Imperatores arguit, & non etiam cum blanditur? Malè ergo exemplo Gregorij utitur Maimburgus, cum eadem libertate, quâ ipse Gregorium severitatis, ego indulgentiæ damnem.

Ejusdem fidei, & farinae est, quod Maimburgus de Hildeberto narrat: (a) Hic, inquit, Ludovico Regi Regaliam exigenti restitit primò, deinde cessit: cur ergo non alyetiam Episcopi ejus factum imitentur? nam sanctitate, & doctrinâ florebat. Sed mirum est Hildeberti exempla produci, quo nemo fortius adversus Reges, majorique libertate pugnavit, ut postea videbimus: quòd si daremus, eum in causa Regaliæ Principi cessisse, adhuc nihil probâisset; quo enim tempore Hildebertus floruit, anno videlicet 1222. necdum Concilium Lugdunense peractum, necdum Canones extabant, & anathemata, quibus extendi Regalia vetabatur: necdum Parlamentorum Senatûs-Consulta, Regum edicta, & quatuor sæculorum observantia; verbo, necdum lis decisa erat, & sententia pro Ecclesijs lata: nunc verò causa finita, & nullus amplius excusationi locus est. Non ergo eadem est conditio Episcoporum, qui ante Concilium Lugdunense, & qui post illud vixere; olim venia errori, nunc nulla dari potest. Accedit Ecclesiam Turonensem, pro qua Hildebertus laborabat, ex illis Ecclesijs esse, quæ jam olim Regaliæ subdebantur, & de quibus nulla modò quæstio est. Cæterùm veritas est, nunquam Hildebertum eum fuisse, qui in damnum Ecclesiasticæ libertatis Regibus cederet, imò constantissimè oblectatum, quod ex ejus epistolis, actisque perspicuum est; is enim maluit sævissimâ persecutione ab

Henri-

(a) Maimburg. du Lutheranism. lib. 2. fol. 279.

Gallia
Indicata

Gall

230

Henrico Angliæ Rege jactari, & carceres subire, quàm ut ejus postulatis contra Ecclesiæ libertatem annueret; sic enim in una suarum epistolarum loquitur: (a) *Longum est enarrare, quàm constanti tyrannide Rex Anglus in nos sevierit, qui temperantiâ Regis abjectâ decreverit non prius Pontifici parendum, quàm Pontificem compelleret in Sacrilegium; quia enim turres Ecclesiæ nostræ deicere nolumus, transmarinis subiiciendi judicij coacti sumus injurias pelagi sustinere.* Et alibi in epist. ad Episcopos, & Clericos omnes: (b) *Oro vos, orate pro me; nam pro Redemptione nihil ago. Semel Christi sanguine redemptus, iterum redimi non requiro. Sanguis ille Redemptio mea, Sanguis ille pretium meum: præterea infamis est Redemptio, quâ libertas perit Ecclesiæ, quâ servitius comparatur, &c.* Epistolâ ad Honorium II. *Quantis tribulationum turbinibus Turonensis agiletur Ecclesiæ, vestram, Venerande Pater, latere non credo Sanctitatem; adhuc enim Francorum Rex meam persequitur innocentiam, & quod constat esse Sanctuarij, addidit Visco. His alijsque premor angustijs, quia Zelo Zelatus sum legem Domini DEI: qui non sum transgressus terminos, quos posuerunt Patres mei: quia dignitates Ecclesiasticas nec ex Regis præcepto disposui, nec ei disponendi facultatem indulsi; sciens enim, quod oporteret Deo magis obedire, quàm hominibus, Personas elegeri, quæ in disponendis Ecclesiæ negotijs pondus diei portarent, & astus.* (c) Et alibi: (d) *Jam nihil est, quo serenitatem nimborum temporis expectem: nihil est, quo navis, in cuius puppi sedeo, crebris agitata turbinibus portum quietis attingat. Silent amici, silent Sacerdotes FESTI Christi, denique silent & illi, quorum suffragio credidi Regem in gratiam rediturum. Eorum tamen erat, si res ita postulasset, opponere se murum pro Domo Israël. Verùm apud Serenissimum Regem opus est exhortatione potius, quàm increpatione, consilio, quàm præcepto: his ille conveniendus fuit, his reverenter instruendus, ne sagittas suas in sene completeret Sacerdote: ne Sanctiones canonicas evacuaret: ne persequeretur cineres Ecclesiæ jam sepulta. Inter has tamen angustias nunquam de me sic ira triumphat, ut alicui super Christo Domini clamorem deponere vellem, seu pacem ipsius in manu forti, & excelsa adipisci. Suspecta est pax, ad quam non amore, sed vi, sublimes transeunt Potestates, & saepe sunt posteriora pejora prioribus, &c.* Et tandem in hæc verba concludit digna memoratu: *Si invenero gratiam in oculis DEI, gratiam Regis vel facillè consequar, vel utiliter amittam; siquidem offendere hominem propter Dominum, lucrari*

(a) Epist. 20. Tomo. XII. Bibliot. SS. PP. V. Baron. ad Ann. 1107. n. 12.

(b) Epist. 39. in fin. (c) Epist. 67. ad Honor. II. Tomo XII. Biblioth. PP.

(d) Hildeb. epist. 75. ibid.

lucrari est gratiam Dei. Hic jam vides Hildeberti mentem multò aliam, quàm ei Maimburgus affingat; vult enim tumultu, clamoribus, penisque canonicis abstinere, quæ Principes irritare magis, quàm mutare solent; sed interim moneri illos, instruique jubet, & miseri reverentiam libertati, paratus tamen eorum potiùs gratiâ proscribi, quàm Deum silentio offendere, & hoc ipsum lucro adscribens. Planè non est istud Regibus annuere, quod voluit Maimburgus, sed potiùs obniti, servatâ tamen reverentiâ Majestati debitâ. Quæ ergo fiducia Maimburgo fuit, Hildebertum inter exempla recensere Regibus assentantium? qui tamen maluit carceres, & inopiam ferre, quàm ut Regibus Ecclesiæ libertatem submitteret: alioquin, eadèmq; ratione, & Susanna inter amantium, & Samson inter timidorum exempla referri possent.

At Hildebertus intercessores questivi placando Regi. Verum id quidem; sed aliud est Principi assentiri, aliud rogare, ut innocentia, & ætati parcat jam sponte collabenti, & in occasum pronæ: si quis enim apud Barbaras gentes Evangelium prædicaret, captivusque & ærumnis confectus, aut auro se redimi, aut Principum officijs curet, quis propterea desertæ illum fidei incuset, aut sentire cum Barbaris dicat?

Quod verò Lutheri, & Melanchtonis exempla imitanda esse Episcopis dicat, qui à Carolo Imperatore jussi, concionibus abstinere; id tam indignum, & ab omni procul ratione est, ut pudeat referre, nedum respondere; quis enim nescit ex Lutheri, & Melanchtonis disciplina Ecclesiæ ministros prophanis Magistratibus subdi? mirum ergo non est, ex istorum præscripto, aut tacere illos, aut loqui. At alia Catholicorum doctrina, alia instituta sunt; nisi fortè litare nos Jovi, & Marti, & Junoni jubeat, quia Aristoteles, & Demosthenes idem fecere; sed piget cum umbris luctari, pudetque Maimburgi tam foeda jactantis, seque ipsum ludibrio exponentis tam vilibus mercibus.

Sextò. Concludit Maimburgus: *In causis ambiguis, & quæ rationibus utrinque muniantur, partes Episcoporum esse, ut acquiescant Principum voluntati; & istam Honorij, & Gregorij Pontificum sententiam fuisse.* (a) Hæc Conclusio suis principijs respondet, imò multò illis pejor est; nec

T

ramen

(a) Maimburg. du Luther. lib. 2. fol. 279.

Gallia
Vindicata
G III
230

tamen præfenti causæ accommodatur, quæ ambigua non est, sed luce meridianâ clarior, notæque certitudinis. Si enim, quod in Generali Concilio definitum est, quod totâ Galliâ receptum, quod quatuor sæculorum observantiâ, Regumque Edictis, ac usu perpetuo exercitum, probatumque est, non meretur, ut certum, clarumque dici possit, quærimus, quid ergo sit rem esse claram, & certam? aut ad veram certitudinem, & claritatem quid illi desit? Nam quod à Gallorum nonnullis negetur, non ideo certitudinem, & claritatem amittit: alioquin nec cælum moveri, nec terram, & montes stare, nec furtum minus flagitium homicidio esse, res erunt certæ indubiæque; quippe ab aliquibus, Zenone videlicet, Copernico, Stoicisque Philosophis negatæ. Quid certius, quàm liliū candere, & fragrare rosas? at istud Domitianus negabat: fimetis assuetus: illud ictero, & bile perfusi. Non ergo paucorum contra communem sensum opiniones, præsertim cum affectibus velut morbis imbuuntur, certitudinem rebus, & claritatem adimunt. Quod verò addit, in rebus ambiguis, & rationibus in utramque partem militantibus, cedendum esse Principum voluntati; id planè novum mirumque est, & ab omni ratione alienum: imò in rebus ambiguis quid fieri, omittique debeat, Sacerdotum, non Principum est, judicare, dicente Scriptura: (a) *Si difficile, & ambiguum iudicium apud te esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicem intra portas tuas videris veritatem variare; surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniens ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint. Et alibi: (b) Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum, & pollutum, & cum fuerit controversia, stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt.* Hic vides in rebus controversis, pugnisque opinionum non Sacerdotes Principum voluntati, sed istos submitti Sacerdotum iudicio; alioquin cum nunquam rationes aliquæ Principibus desint, nunquam etiam corrigendi erunt, semperque eorum voluntati Episcopi subiacebunt; quod quid est aliud, quàm Hierarchiam confundere, & ordines, ac castra Ecclesiæ turbare? Quantis rationibus Valens, Theodosius, Valentinianus, aliique Imperatores cum Athanasio, Ambro-

(a) Deuter. 17. (b) Ezech. 44.

Ambrosio, Chryfostomo pugnabant? at nunquam impetrârunt, quæ postulabant; quippe Pastorum est regere, non ovium: Ducum imperare, non militum: Navarchi ad clavum sedere, ac ventos distinguere, non turbæ: Medici remedia, ac morbos cognoscere: & tandem Sacerdotum, non Principum, Ecclesiam docere.

Quod si absurdum est, ut quis artem doceat, quam nunquam didicit, calluitque, ut si auriga præcepta navigandi, tonsor pingendi tradant, & pictor tonsori, nauta parere aurigæ jubeatur; quanto absurdus, ut Principes castris, & aulis nati, sacrorumque Canonum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ, & regendarum animarum ignari, Ecclesijs, & Episcopis præscribant, & isti ab illis ducantur, hoc est, videntes, & docti, à cæcis, ignarisque? præsertim cum regulæ, & principia, quibus aulæ, & Ecclesiæ reguntur, tantis differant intervallis. Imò fatale semper Principibus fuit, se causis Ecclesiarum miscere, & arcam contingere prophanâ manu, quod Ecclesiasticam historiam percurrenti perpetuò occurrit. Constantini M. Imperium, pace, victorijs, diuturnitate, amplitudine felicissimum fuit; crederes fortunam, & gratiam sub ejus signis militasse, adedò omnia ex voto, prosperèque fluebant: Maxentius, & Licinius Imperatores victi: Scythæ Gothique aliàs indomitæ gentes, fusi fugatique, & vestigales redditi: Persæ debellati: Pax Imperio reddita, internis externisque bellis sopitis: & denique ab ultimis terræ partibus Indorum Legati auro gemmisque graves, universo velut orbe florem hunc Principum, & delitium generis humani adorante. At verò, ubi manum in Ecclesias vertit, proscripto Athanasio, quem intercepti ex Ægypto frumenti accusaverant, (a) continuò prosperorum finis, & mors secuta, veneno à fratribus propinato; quam ei mortem Athanasius prædixit; cum enim exulandi imperium intrepido ut semper, invistòque animo accepisset, ferunt in has voces erupisse: (b) *Judicabit Dominus inter me & te, quoniam tu consentis calumniatoribus modestiæ nostræ.* Eadem ferè Theodosio juniore calamitas. Proclo Episcopo è vivis sublato successerat Flavianus; displicebat ea electio Chrysaphio Eunucho in aula præpotenti, & Eudoxiæ charo; quippe Flaviani sanctitatem verebatur flagitijs suis adversam, & Pulcheriæ viribus

T 2

sub-

(a) Anno 333. (b) Epiphani. hæz. 68.

Gallia
Indicata
G III
230

subnixam. Consilium ergo à dolis quæsitum. Monet Flavianum, ut Imperatorem sacro aliquo dono afficiat; id præmium fore acceptæ dignitatis, & arrham gratitudinis. Duo panes submissi; sed contendenti Eunucho, aurum, non panes expectari, respondit Episcopus: *Nullam sibi auri copiam esse, præterquam Sacri: hoc verò pauperibus, non aula deberi.* Hinc aucta offensio, & tunc præsertim, cum Flavianus Pulcheriam monuit, eam ambitionis suspectam Ecclesijs destinari, ut Regiâ submoveretur; prævenitque illa spontaneo recessu, Episcopo interim reo vulgati arcani; nec prius cessatum, quam armatis in illum Eutyrianis, Synodoque Ephesinâ in exilium ageretur, annuitque Theodosius, privatis odijs à Chrysaudio, & Eudoxia imbutus. Secura Dei vindicta, sequenti mox anno, Theodosio, dum venatui indulget, equis lapsus, & in Album fluvium abrepto. (a)

Anno CCCCLII. Valentinianus III. Imperator lege editâ immunitatem Ecclesiasticam minuerat, sublatâ fori exceptione, quâ Clerici hætenus gaudebant, & servis, inquilinis, colonisque, ne votis monasticis se illigarent, prohibitis. Eodémque Anno Attila Italiam ingressus est, vastavitque torrentis more; Aquileia, Mediolanum, Ticinum captæ: & jam Romæ imminebat, cadebaturque Imperium, nisi eloquentiâ, & Sanctitate Leonis Papæ respirasset, Barbaro in fugam, & ultra Danubium pulso. (b) Eam postea Legem Imperio fatalem Marcianus abolevit.

Anno DXVII. Hormisdas Pontifex Max. Legatos cum Epistolis ad Anastasium Imperatorem miserat, monebaturque, ut relicta Eutycheris hæresi in Ecclesiæ sinum rediret, abstinereque persequendis Episcopis. Legati non solum auditi non sunt, sed etiam rejecti, & fragili cymbæ imparatæque impositi, cum ventis, & undis liberet, perituri: inter alia contumaciter dicta etiam hæc audita, & diplomati inserta: (c) *Nos jubere volumus, non juberi.* Sed quo eventu? sequenti anno insomnijs, & spectris vexatus, ac fulmine percussus, cum fugiens thalamos pererraret, infeliciter extinctus est. Elias verò Hierosolymis, Flavianus Antiochiæ Episcopi,

(a) V. Baron. ad Ann. 450. ex Ced. Nic. & Zon. (b) Marcellia. & Cassiod. in Chron. (c) Anastas. in Hormisd.

scopi, quos exilio punierat, decimo post die, cælesti tribunali assistere visi sunt, & causam suam contra Anastasium dicere. (a)

Anno DLXV. Justinianus Imperator non legibus, non armis contentus, quibus æternam gloriam sibi paraverat; dum etiam in ipsas aras manus profert, Concilio Chalcedonensi bellum intendit, Vigilium, aliisque Episcopos damnat, proscribitque, ac totas noctes versandis rebus Ecclesiæ insumit, repentinâ morte sublatu est, cum prius hæresin incidisset. Lis inter scriptores de Anima est; ego pœnituisse crederem, & absolverem, si modò juvari posset credendo, optandoque: illud timorem auget, quòd eo momento raptus sit, quo Episcopo Antiocheno exilium dictabat. (b)

Anno DCCCCLXXXIII. Otho II. Episcopatum Merseburgensem Beato Laurentio dicatum extinxerat, unieratque Archiepiscopatu Magdeburgensi: eodem anno festinante Deo vindictam ejus exercitus à Græcis in Calabria cæsi, & ipse Imperator vix natando evasit, pervenitque Romam, ubi etiam mœrore consumptus est. Auctor Vitæ S. Hildeberti (c) narrat paulò ante mortem, & nocte intempestâ juvenem apparuisse, decoro ignitòque vultu, & candido amiculo, purpureaque stolâ insignem. Aureum solium Imperatorem sustinebat, circumfusâ Episcoporum, Optimatumque coronâ. Illuc juvenis accurrit, subduxitque argenteum suppedaneum irato similis; & uni, ne id ageret, inclamanti, minaciter respondit: *Imò, si meum dedecus non emendat, majora faciam, & subtrac̄to scabello ipso solio deponam.* Paulò pòst, ut fides vaticinio esset, secuta clades, & mors Imperatoris. In hujus filio Ottone videlicet III. Magni Ottonis Nepote (qui veneno perijt chirothecis ab Amica infuso) concidit Regnantium Ottonum stirps; idque, ut creditur, in pœnam usurpatæ Pontificum electionis, ut scribit Baronius. (d) Nam si Ottonis fortunam, virtutes, & potentiam spectes, perpetuum in ejus familia videri Regnum poterat, fuissetque, si intra aulam, & castra steteret, Ecclesijs intactis.

Anno MXXXVII. Conradus Imperator Mediolani Archiepiscopum Imperio perduellem bello petijt, agrum Mediolanensem vastavit,

T 3

(a) V. Spond. ex Cyrillo, & Sophron. Anno 518. (b) V. Niceph. lib. 17. cap. 31. Enag. lib. 3. cap. 2. (c) Auctor Vitæ S. Hildeberti contemporaneus apud Sur. die 23. Apr. (d) Baron. ad Ann. 1002.

Gallia
vindicata
GII
230

stavit, & leges victis præscripsit; inter quos Placentinum, Cremonensem, & Vercellensem Episcopos exilio damnavit; sed Deo improbante: (a) cum enim Coronam Imperialem incingeret, tonitrua, & fulmina micare, tantoque impetu tempestas agebatur, ut alij mente, alij vitâ exciderent; & Bruno Episcopus testatus est, visum à se, dum Sacris operaretur, Sanctum Ambrosium iratominacique vultu vindictæ accingi: nec multum dilata est, ingenti peste in exercitus immisâ, quæ etiam domum Cæsaris libavit, & ipse inopinâ morte decessit. (b)

Anno MCVI. Henricus III. Imperator, qui Gregorium VII. ausus fuerat Pontificatu exuere, Antipapam Guibertum decernere, Romam invadere, omnes, qui legitimo Pontifici adhaeserant, persequi; (c) tandem à Principibus desertus, à filio oppugnatus, coactisque imperio cedere, vitam privatus absolvit, omnium ferè, quibus scelera execrabantur, gratulatione.

Anno MCXC. Fridericus Ænobarbus Imperator, cum in Oriente militaret, & ingentibus victorijs Saladinum profligasset, cæcis unâ acie quadringentis millibus equitum, cum ipse sexcentos tantum haberet: alterâ ducentis millibus; infelici casu spem omnem, fructumque tot laborum amisit; cum enim propter ripam Cydni amnis, quem paulò ante transmiserat, epulatus esset, æstum solis, qui tum maximè flagrabat, levaturus, invitante purissimo liquore, in amnem se coniecit, excepit deliquium animique defectio, & sub vesperam mors. Secutæ omnium lacrymæ, etiam hostium. Fas equidem non est, Divina consilia metiri oculo mortali. Neubrigensis (d) tamen non dubitat cælesti vindictæ adscribere, quam Fridericus provocaverit persecutione Alexandri Pontificis, & quòd electiones Episcoporum turbasset. Friderico Henricus Filius successit, & huic Otto; nam Philippum ex Henrico Friderici Nepotem Innocentius III. rejecerat, utpote diris implicitum, cum à nonnullis Principum electus est: & illi res prosperæ, florénsque fortuna, dum sacris reverentiam habuit. At verò, ubi Beneficiorum immemor, quæ ab Innocentio III. acceperat, Ecclesiæ terras invasit,

(a) Sigebert. in Chron. ad Ann. 1039. (b) Herman. Contract. ad Ann. 1037. (c) V. Otton. Frising. & Ursperg. in Henr. III. (d) Neubrig. Lib. 4. cap. 13.

invasit, multis prælijs cæsus, à suisque relictus, Imperio, & vitâ caruit; pœnituit tamen, doluitque. (a)

Fridericus II. Romanæ Ecclesiæ, summisque Pontificibus toties infestus, & anathemate percussus, tandem à proprio filio strangulatur. (b)

Infinitus sim, si omnia percurram, quæ in hanc rem dici possunt. Sunt etiam memoratu digna, quæ in sacris litteris proponuntur: Ozia videlicet Regis: (c) *Qui cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum; ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare Thymiamatis, & minabatur Sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte illius, &c.* Et Saulis, cujus pavendum Regibus exemplum, cum Sacrificia obtulisset contra præceptum Samuelis, Sacræ litteræ ita recensent: (d) *Et obtulit Saul Holocausta, & pacifica; cumque complisset offerens sacrificia, ecce Samuel veniebat, & egressus est ei obviam, ut salutaret eum; & dixit ei Samuel: Quid fecisti? Respondit Saul: Quia vidi, quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras juxta placitos dies, porro Philistinim congregati fuerant in Machmas; necessitate ductus, obtuli holocaustum. Dixitque Samuel: stultè egisti, nec custodisti mandata Domini DEI tui, quæ præcepit tibi; quod si non fecisses, jam tunc preparasset Dominus Regnum tuum in sempiternum; sed nequaquam Regnum tuum confurget. Hic jam vides, quantum inter se differant DEI, & Politicorum consilia: volunt isti, ut Principibus aliqua imperantibus, & rationes imperandi afferentibus, Episcopi non solum non obstitant, sed etiam obsequantur, quamvis iniquum imperium putent, improbentque rationes, velut Divinæ Legi contrarias, quæsitæque velandis flagitijs. At alia DEI sententia est, qui in rebus ambiguis vult ex Sacerdotum arbitrio Reges pendere; stultosque appellat, qui in rebus sacris exiles aliquas prudentiæ humanæ regulas eorum præceptis anteponunt. Quæ non obtendebat Saul, ne imperio Samuelis stringeretur? Morari Sacerdotem, exercitum dilabi, hostes imminere, & tandem necessitatem omni lege majorem. Si Maimburgus in castris, & Senatu fuisset, non unum tantum Samuelem, sed omnes Prophetas, & Patriarchas his rationibus repulisset, nec ullum finem laudandi Regis inveniret; & tamen is stultus appellatur,*

(a) V. Abb. Ursperg. & Stadenf. ad Ann. 1214. (b) Anno 1250. (c) Paralip. 1. cap. 26. (d) Reg. 1. cap. 13.

Gallia
indicata
G III
1230

latur, & in præmium contempti Sacerdotis Regno movetur, Idem ferè in alijs exemplis, quæ produxi observes; nemo enim Imperatorum, cum Sacerdotibus obfisteret, suis rationibus carebat: nec istæ unquam Principibus defunt, in tanto adulantium numero, & qui ingenia, calamósque locant inaurandis mendacijs,celandisque, ne appareant. Nec funestos eorum exitus casui adscribas, non destinatæ vindictæ; quæ enim casu fiunt, rarò paucisque contingunt, nec uni factò alligantur; nec enim omnes, qui fodiunt, in thesauros incidunt: nec omnes, qui navigant, in novas Insulas, & Regna jactantur; at verò omnes ferè, qui rebus sacris, & Sacerdotibus salubria monentibus infesti fuerunt, cælestem vindictam experti sunt. Huc tendunt Maimburgi insignes Aphorismi, quos meritò *Artem appelles, blandissimè pereundi.*

IV. *Opponitur 10.* Plerique Episcoporum, imò omnes, si duos excipias, Regaliæ, ejusque extensioni subscribere: cur ergo omnium sententia non duobus prævaleat? nam & pietate, & doctrinâ conspicui erant. Quis ergo credat, aut cæcos illos omnes, aut impios fuisse, ut veritatem vel non viderent, vel proderent? Et planè cum in rebus moralibus maximum sit momentum in auctoritate dicentium, ea vincet sententia, quæ plus habet auctoritatis; ea verò plus habet auctoritatis, quæ omnium, quàm quæ paucorum est.

11. Multa sunt, quæ responderi possent ad hoc argumentum; supponit enim falsum, videlicet duos tantum fuisse Episcopos, qui se Regaliæ opponerent; imò plerique obstiteret, & quàm ægro invitòque animo Regiam Declarationem acciperent, multis signis expresserunt: alij protestati sunt: alij eodem momento, cum subscriberebant, cogi se clamabant, jubebantque à Notario, & testibus in tabulas referri: (a) omnes denique, cum ad Pontificem scribere, timorem professi sunt. (b) Agnoscebant ergo injusta imperari, & quæ libertatem Ecclesiarum, & conscientiam læderent. Nec consensus dici potuit, quem metus expresserat.

Non ergo Alecensis, & Apamiensis Episcopi contra omnes solli sentiebant, imò cum omnibus, cum nemo esset, qui ignoraret, iniqua à Regijs postulari. Solitam enim ausi sunt veritatem exilij, & pœnis præferre, & humanum timorem Divino posthabere. Nec ista,

(a) M. de Pamiers Traçt. de la Regale f. 178. (b) Epist. Innoc. XI. ad Episc. Gall.